

S. Ansel.

purissimum & sanctissimum Verbum assume- ret. Hanc objectionem in hunc modum pro- ponit, & expedit Anselmus: Tota humana natura radice sua vitiosa fuerat, atque corrup- ta. Num Deus corruptioni, vel vitio peccati potest consociari? Necessè igitur fuit, ut humana natura, de qua se hominem fieri volebat, munda ab omni peccati contagio esset. Quod ubi inveni- ret, cum nihil incorruptum, vitiatum omnium ra- dice, existeret? Sed qui humana perditioni sub- venire disponebat, Dei virtus, & Dei Sapiaentia nuncupatur. Itaque omnia, quæ vult, posse sup- petit ei. Poterat ergo de massa peccatrice natu- ram humanam ab omni labe peccati immunem facere; unde in unam personam susciperet sibi, ut homo integer esset, & Divinitati suæ nihil mi- nueret. Prædestinata fuit, & præordinata in hoc opus mirabile Maria illa. Te ergo Domina, quam in tantum culmen prædestinavit, & extu- lit divina potentia, quam tot prærogativis dita- vit cuncta disponens Dei Sapiaentia, credere mi- nimè queo, te morte peccati in tuo conceptu potuis- se prægravari. Tantum ille. Nihil ergo cor- poreæ, & materiaria propagantium radix Ma- rianæ obfuit arbori, quo minus cælo vitam, frondes, flores, fructulque peteret universos, Deoque legandos ederet, ut pote ex paterno natu- ræ fundo in Dei fundum depressa. Utorem enim verbis civilis juris Domino arboris vindican- tibus. Si alienam plantam in meo solo posuero, mea erit, si modò radices egerit. His conveniens est, quod si vicini arborem in terra presserim, ut in meum fundum radices egerit, meam effici arborem. Rationem enim non permittere, ut al- terius arbor intelligatur, quam cujus in fundum radices egisset. Sic enim Pandectæ Florentinæ, correctiores, aliaque vetusta exemplaria legunt hanc legem Adeo ff. de acquirendo rerum domi- nio. Igitur licet ex vicini Adami fundo decerpta Deipara, quia tamen in suo Dominus fundo felicissimam hanc arborem plantavit, in eum- que altissimas egit radices, tota Dei arbor est, ut aiebat S. Ephrem: tota frondium, florum, fructuumque gloria radicibus fundata est, ut ait Epiphanius: utpote quæ tota in Dei amore alt- issimè coaluerit, ut Antoninus expressit.

In pande- ctis.

Et si ex vicini Adami fundo decerpta Maria, in suo Deus fundo eam planta- vit.

Maria uti felicissima arbor in Ec- clesia radi- cata est.

Pf. 47. 2.

Theopha.

Chrysp.

1485 Vides pulcherrimam hanc Dei arbo- rem, cujus tota gloria radicibus fundata est in Dei fundo? Hæc ipsa radicata dicitur in popu- lo orthodoxæ Ecclesiæ honorificato, glorioso, illustri: in quo radices amoris agens, pietatis, cultus, venerationis, constanter & perenniter habitat; habitabitque in æternum, quasi Ma- ter honorificata omnium Christianorum, qui eam omni tempore, singulari profecuti sunt amore, & veneratione; ut copiosè ostendit Bozius to. 1. de signis Ecclesiæ Dei l. 9. à c. 6. usque ad 11. Quò revoces illud Pf. 47. 2. Fun- datur exultatione universæ terræ mons Sion, &c. Ex Hebræo transferas: Pulchras radices agens, seu pulcher radicibus mons Sion. Chal- dæus; Pulcher ut sponsus. Caietani Rabbini; pulchra sponsa. Felix Pratenfis; formosa & spe- ciosa Nympha mons Sion. Quæ verba boni uti- que Interpretes ad Virginem transferunt, quæ & mons Sion, sive Templum ibi ædificatum so- let appellari; nec non pulchra Dei sponsa, & formosa Nympha. Nympham Dei eam nuncu- pat Theophanes in Hymno de Annuntiatione. Hæc igitur Dei Sponsa, & pulcherrima Nym- pha, sub montis Sionis symbolo, pulchra radi- cibus appellatur, seu, pulchras radices agens; non alibi certè quàm in Catholica Ecclesia, ubi

impensè colitur, & pietas in illam firma & sta- bilis persistat. Et quemadmodum arbor terræ succum, vitamque ex radicibus haurit, ac per- cipit; ita Ecclesiæ filii, qui Deiparæ propagi- nes sunt, per magnam hanc Matrem, quali per radicem in Dei fundo altè defixam, beneficia trahit universa. Propterea radix omnium bono- rum, vocatur à Chryssippo Orat. ad Virginem.

1486 Virginis Matris ad Filium sunt illæ voces apud Salomonem Cant. 7. 11. Veni dile- cte mi; egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè strigamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si flori- erunt mala pumica. Curam prodit ac sollicitudi- nem ingentem, qua afficitur, proficiscentiè Ju- daismo in Gentilismum, ut novam apud Genti- les Ecclesiam fundet, & promoveat: vinearum enim nomine Ecclesiæ indignantur Gentium; quas de fructu manuum suarum plantavit Dei- para; dum ibidem radicatur ipsa una cum Filio tanquam feracissima vitis, quæ vim habet citius radicandi, ut aiebat supra S. Antonius Padua- nus. In Ecclesia igitur Christiana altas ipsa ra- dices defigit, æternum in ea commoratur; quod satis exprimitur illis vocibus, commo- remur in villis. Hebraicè, pernoctemus. LXX. re- quiescamus. In hunc ferè modum præjecta Can- ticorum verba elucidant Hailgrinus, & Gui- lielmus apud nostrum Del Rio in mixta Inter- pretatione de Deipara. Egrediamur (ait Gui- lielmus) de illa Jerusalem, quæ melius Baby- lon dicitur, pro eo quod non novit tempus visi- tationis suæ, & adhuc scandalum patitur in Cru- ce Salvatoris sui. Egrediamur hinc & commo- remur in villulis gentium usque ad vespertum se- cūli. Non sine me egredieris, aut sine me ali- cubi commoraberis: quia ego semper tecum, & præ omnibus te sequor, ô Agne, quocumque ieris, tecumque manebis ubicumque moram fece- ris: nam grata erit tibi Gentium salus, nec proditi- mero sa fide- lium posse- ritas.

Canti. 7. 11.

Prov. 31. 16.

Guiliel.

Ex immuni Dei Matre proditi- mero sa fide- lium posse- ritas.

Isai. 11. 8.

1487 Denique observa, ex Matre Virgine purissimè, à suæ conceptionis articulo, in Dei fundo radicata, numerosam & pulchram pro- dire Christianorum posteritatem, tanquam à radice, à qua imprimis Christus produit, ut flos fructificans, non abique loca radice. Quod bellissimè præcinit magnus Isaias cap. 11. 1. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Pro egredietur ponitur Hebraicè verbum jatsa, quod, ut supra latè ob- servavi, potest verti: Signetur purissima, produ- cetur à suo principio immaculatissima, egredie- tur mundissima. ut designetur, Mariam pul- chram, purissimam, mundissimam esse radici- bus virgam, sic ab Adamo, cæterisque proge- nitoribus pullulantem, ut nihil ex illorum cul- pa fordium illi adhaerit. Quid inde; Et flos de radice ejus ascendet. Radix hæc, à qua flos Jesus ascendit, Deipara Mater est, radix spe- ciosissimi floris, dicta à Methodio Orat. Hypa- pant. Oleaster vertit ex Hebræo, Et ramus, vel plantula custodita de radicibus ejus ascen- det. Vox Hebraica, pro ascendit, posita est pa- rah, quæ sonat, & flos de radicibus ejus crescet, abundabit, multiplicabitur, fructificabit. Id est, Messias de radicibus egrediens fructificabit fide- les in maxima copia, ut Oleaster explicat. Certè numero sa & pulchra hæc fidelium proles non ad Christum solè referenda, qui flos, qui ramus, qui plantula Virginis Matris est; sed ad ipsam quoque

Oleast.

quoque Deiparam, à qua tanquam à radice pu- rissimè producta originem trahit Christiana prolapia. Eapropter Mater omnium credentium appellatur à S. Ambrosio apud Bonavent. in speculo cap. 10. & Mater Gentium à S. Augu- stino serm. 35. de Sanctis. Et illam sic salutabat Sanctus Cyrillus Episc. Alexand. tom. 6. Con- cillii Ephesini cap. 6. Salve Virgo, per quam san- ctum Baptisma obtigit credentibus, per quam toto terrarum orbe fundata sunt Ecclesia. Non hinc abeam, quin tibi proponam dilu- cidè expendendam S. Antonini interpretatio- nem ad illa verba, & radicavi in populo hono- rificato; 4. p. cap. 45. ser. ultimo de Assum- ptione: Populus maxime honorificatus est cætus Angelorum, & Sanctorum. Radix autem est prin-

cipium arboris. Imaginemur ergo summitatem perfectionis gloria beatorum esse in Seraphim or- dine supremo. Et ibi incipit perfectio gratiæ, & gloria Virginis extendens se erga Filium incar- natum. Pro immaculata Deiparæ conceptione elucidatio est peropportuna; sicut enim radix principium arboris extat, sic Marianæ vitæ ra- dix conceptio illius erit; quæ quidem adeò pura, adeò sancta extitit, ut super ipsam pur- ritatem & sanctitatem incepisse dicatur; & pri- ma Virginis originalis gratia intentior fuisse, quàm suprema gratia, in qua consumantur An- geli, & homines. Vide quæ infra num. 2121. dicimus ad illud Psalmi 86. 1. Fundamenta ejus in montibus sanctis, sive sanctitatis.



TRACTATUS

De avita, & eximia Hispanæ Ecclesiæ, Australis præ- fertim, erga Christum Dominum, & Deiparam Vir- ginem religione.

Ad illa verba: Et in parte Dei mei hæreditas illius.

1488 **S**TATUIMUS supra in enodatione textus, hisce verbis: Et radicavi in parte Dei mei, hæreditas illius; id est, in parte Dei, quæ illius extat hæreditas singularis: vel, ut Græca apertius sonant, Et radicavi in parte Domini hæreditatis il- lius: sive, ut Tigurina effert; Et radicata sum in ea, quæ Domino cesserat, possessione. Statuimus, inquam, hoc hemistichio vaticinium contineri, prælustre de antiquissima Hispanorum in Christum & Deiparam Evan- gelica religione, & singulari pietate. Hac certè, vel ab Apostolicis tem- poribus, fuisse Hispaniam nostram abundè exultam, ostendere seorsim nitor, atque contendo, non illis solùm interpretandi argumentis, à con- textu, & verborum proprietate petitis; sed, quod præcipuum est, adsimi- libus aliis, gravissimisque testimoniis in medium adductis, & ad litteram diligenter expeditis ex litteris inspiratis, & probatæ fidei scriptoribus. Erat inde, ut magna præjectis Ecclesiastici verbis lux effulgeat, & dilucidè ap- pareat, Hispanicam Ecclesiam, inter reliquas totius orbis Orthodoxas, eam esse Dei partem specialem, in qua Iesus, & Maria altas latusque agunt ra- dices: eam esse Dei hæreditatem, & possessionem, quæ utriusque obtigit, & singulariter cessit.

SECTIO XXI.

Præmittuntur nonnulla ex probatæ fidei Histo- ricis, pro Hispaniensium gloria, & infra di- cendorum elucidatione.

Hispania humani im- perii finis.

1489 **P**Rimò statuendum nobis est, Hispa- niam nostram, ex veterum Geogra- phorum, & Poëtarum consensu, esse & appel- lari humani Imperii finem, ac terminum. Quod probant Herculeæ columnæ penes Gades cum ea celebri inscriptione: Non plus ultra. Lege Strabonem lib. 3. Marineum Siculum l. 1. de rebus Hispaniæ, ex Plinio, & aliis, Suidam P. Ildeph. de Flores in Eccles.

verbo τὰ δὲ ἄκρα Πινδάρου Olymp. Od. 3. Μα- λυντιῦν in Adagiis, Maluendum de Antichri- sto l. 3. c. 15. Philostratum l. 2. Apol. c. 14. Hercules insculptus erat, terminos terræ penes Gades collocans. Hispani ergo ab antiquis semper habiti, Orbis terminatores; quoad usque novum Orbem Hispanico addiderunt imperio, & terminos ditionis protulerunt. 1490 Secundò observa, Hispaniam sum- mopere commendari, tum in sacris, tum in lebris ab prophanis litteris, ab ingentibus opibus, & opibus & rerum omnium abundantia. Unde Hispani- nientenses solent vocitari divitissimi populorum, & opulentiores populi. Et quidem universè K k 2 Hispanicas

Philostrat.

Hispania con- lebris ab opibus & rerum om- nium abunda- ntiis.

Hispanicas divitias facta commendat Scriptura. 1. Machab. 8. cap. 8. vers. 3. Et audierunt quanta fecerunt in regione Hispania, & quod in potestate redegerunt metalla argenti, & auri, que illic sunt. Sed sigillatim Bæticæ nullus non laudat Historicus. Strabo lib. 3. Geographorum, postquam multa de Turditanis, seu Bæticis opibus scripsit, hæc addit: Nondum adhuc compertum est, ullibi terrarum, aurum, argentum, at, aut ferrum tanta cum copia, tum bonitate inveniri. Atque hic aurum non effoditur modo, sed & flumina, & torrentes auro permixtam arenam volunt. Hispanicarum porrò, divitiarum id quoque testimonium scriptores perhibuerunt, Carthaginenses, qui Barca duce expeditionem fecerunt, Turditanos argenteis præsepibus usos, deprehendisse. Suffragatur de nativis in Bætica thesauris Aristoteles in lib. de mirabilibus auscultationibus hisce verbis: Primos Phœnices ferunt, cum Tartessum navigassent, tantam argenti vim oleo, aliisque nauticis sordibus commutatam esse, ut nec capere naves, nec ferre possent: quocirca coactos post discessum tum cætera, quibus utebantur, tum anchoras etiam ex argento conflare. Juvat Dionysius Alexan. in Periægesi vers. 334. Tartessus antena, divitiis affluentium solum hominum. Et Stesichorus citatus ab Strabone l. 3. Tartessum annis ad fontes immensos, argenteis radicibus. Tartessum autem in Hispania fuisse, aut certè ad Hispaniæ oras, Bæticæ potissimum collocandum, multis evincit noster Pineda lib. 4. de Rebus Salomon. cap. 14. 1491 Celtiberiæ divitias supra Bæticam sitæ, Strabo lib. 3. ex Possidonio veteri Historico sic describit. Ait quod nemoribus, Pyrenæis, aliquando inflammatis, terra liquefacta cum esset, & argentea materia, in superficiem ea metalla effervescente eiecerit. Itaque omnis mons, & omnis collis, locupletissima cujusdam fortune dono, sit numismatis materia cumulatæ: omninoque, ait, videns aliquis ista loca dixerit, thesauros esse perennis naturæ, aut principatus ærarium perpetuum: non enim dives modo, inquit, terra illa est, sed & infra se opes habet conditas: & re vera apud istos homines infra terram, non Ades, sed Pluo habitat. Adludit Claudianus in laude Serenæ. Oblatum sacris natalibus aurum Fulgo vena vomit, Pyrenæique sub antris Ignea fulmineis legere Ceræunia Nymphæ. Idem Pyrenæorum incendium, ingentemque inde argenti vim testantur Aristoteles lib. de mirabil. auscult. & Diodorus Siculus lib. 6. Bibliothecæ Historicæ c. 9. qui addit, orientales nationes Pyrenæorum argento naves onerarias complevisse, nostrisque opibus esse locupletatas. Terra enim omnis, inquit, argento referta est. Et mox: Bonitate soli glebas semper auro, argentoque fertiles inveniunt, utpote omni terra metallis plena. Plura si cupias, lege Plinium l. 3. c. 1. & 3. & l. 33. c. 6. Justinum l. 44. & Solinum c. 26. & alios. 1492 Quid si vera etiam sit ea doctissimorum hominum sententia, quæ primam occiduum Tharsim Salomonis classibus nobilissimam, nostrum esse Bæticum Tartessum statuit? Existimant Anastasius lib. 10. Hexæmeron, Becanus lib. 7. Hispanic. Forerius Isai. 13. 10. Bozius lib. 15. de signis Ecclesiæ cap. 18. Pineda lib. 4. de Rebus Salo. cap. 14. Joannes Puente l. 3. de Monarchia Ecclesiastica, & Catholica, c. 6. Ribera in c. 1. Jonæ, Ludovicus

Sotomaior in c. 5. Cantic. Mariana l. 1. Historica cap. 2. Ludovicus Nonius in descriptione Hispaniæ cap. 14. & alii eruditione præstantes. Et quidem, cum Tartessica Hispania omnium esset nationum ditissima, atque Orientalium Gentium, Phœnicum maximè classibus frequentissima, quibus aurum, argentum, Hispanicæ opes Tartessicæ, in universum orientem, ac præsertim in Phœniciam convehantur, nemò prudens credat, solos Hebræos Phœnicum aliàs socios, classicas has Phœnicias in Tartessicam Hispaniam navigationes aut ignorasse, aut imitari nequivisse, aut consultò prætermisisse, cum tamen hujusmodi opes in Templi Hierosolymitani Fabricam avidissimè undique conquirerent, atque studiosissimè compararent. Videtis nostrum Pinedam nuper relatum. 1493 Tertio advertendum etiam est, nobilissimas Tyriorum colonias in Hispania nostra, Bætica præsertim Australi, agnoscendas; ut verè agnoscent celebriores quique Historici. Strabo l. 3. Plinius l. 5. c. 19. Curtius l. 4. Diodorus l. 6. Biblioth. c. 7. Isidorus lib. 14. Etymol. cap. 6. & lib. 15. cap. 1. & plerique alii, Gades Tyri Colonias celebrarunt. Cecinere Dionysius Afer. lib. de situ orbis: Est igitur ponto tellus circumflua prima, Cui nomen Gades, filias hæc Hercules inter A Tyriis colitur, Lucanus noster lib. 7. Pharsaliæ: —Præfaga malorum Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes Adjacet. Et Silius Italicus l. 16. de Bello Punico: Fulgentes pueri Tartessos, & Hesperos ora Ostendere simul, vulgi clamore secundo; Hos Tyria misere domo patria incluta Gades. Sed maritimam inde universam oram legamus, Silius, atque alias in Australi illo Hispaniæ tractu Tyri colonias, usque ad summa Pyrenæi juga numeremus. Præmoneo autem Lectorem, dum vereres Historici colonias hæc Phœnicibus adscribunt, perinde esse ac si Tyriis adscribant; cum Tyrus Phœnicum omnium mater esset, ubi Regia sedes, unde jura totum peteret regnum: quod tum ex sacris litteris constat, tum ex humanioribus. 1494 Igitur Carthæiam ad fretum Herculeum à Phœnicibus conditam docet Pomponius Mela l. 2. de situ orbis c. 6. Plures in Turditaniam (sic Bætica veteribus dicta) colonias Phœnicum memorat Strabo l. 3. Geographorum. Hi namque (Hispani) sic à Phœnicibus subjugati fuerunt, ut plures Turditanie Urbes confinesque loci ab eis his habitarentur annis. & l. 2. scripserat, Phœnices in Hispania latum imperium tenuisse. Porrò quas urbes Phœnicibus colonis universim adscribit, Tyrius assignat. l. 16. Colonia in Lybiam, & Iberiam usque ad loca extra columnas profecta Tyrum plurimum extollunt. Ut vel ex hoc loco semel constet, Hispanienses colonias Phœnicibus & Tyriis indiscriminatim addici, utpote eisdem. Sed nominatim aliquas designemus. Tres idem Strabo exprimit l. 3. Malaca Phœnicia civitatis propinquioris retinet formam: deinde Exitanorum civitas est, à qua falsamentaria præcipuum nomen adepta sunt: dehinc Abdera Phœnicum ipsa etiam edificium. Atque ut iterum constet, Phœnicum nomen intelligi à Strabone Tyrios, addit hos plurimam Hispanorum regionem vastavisse, novis nempe colonis obsistentem. Suffragatur Plinius

l. 3. c. 1. ubi cum Australia oppida recensisset, Gades, Promontorium Junonis, Besipponem, Bellonem, Mellariam, Carthæiam, Calpen, Barbefulam, Saldubam, Suelen, Malacam, Menobam, Sexifirmum, Selambinam, Abderam, Murgim, Bæticæ superioris finem, hæc addit: Ora eam universam originis Pœnorum existimavit M. Agrippa. Isdem eisdem attribuit Ptolemæus l. 2. c. 4. additis præterea, Monralia, Tranodula, Exoche Portumagno, Baria. Quod autem Agrippa, & Ptolemæus harum urbium Colonos dicunt Pœnos, Phœnices volunt: argumeto est, quia quæ illi Pœnis assignant, Malacam, Sexim, & Abderam, ad Phœnicibus Strabo l. 3. nec non & Carthæiam Mela l. 2. c. 6. Idem ergo judicium de reliquis ferendum. Juvat, quòd nomen Pœnorum pro Phœnicibus capum est, auctoribus D. Jeronymo Iere. 25. Aria Montano in Apparatu l. de Chanaan c. 8. & Fabio lib. 3. semelstrum cap. 2. 1495 Pergo reliquas Phœnicum colonias ulterius adnotare. Tyriaßonem in Celtiberia Colonom adhuc Tyriorum nomen retinet: itaque ab illis conditam asserunt Rodericus Toletanus l. 1. de Rebus Hispaniæ c. 5. Joannes Gerundenis l. 2. Paralipom. & Marineus l. 3. de Rebus Hispaniæ. Plures alias in eadem Australi Celtiberia Tyrienses Urbes agnoscit Diodorus Siculus l. 6. Biblioth. c. 9. de Pyrenæorum incendio scribens: Ardente continuo diebus igne plures ex montibus argenti puri rivuli flammaturum vi effluxere: quod incolis ignotum Phœnices mercatores vili rerum permutatione emptum, in Graciam, Asiamque, ac Nationes ceteras deferentes, magnas ex eo commercio opes contraxerunt. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti, plures Colonias tum in Sicilia, propinquasque Insulas, tum in Lybiam Sardiniamque, ac Iberiam destinarunt. Iberiam totam illam superiorem, & inferiorem Hispaniam Australem inter Bæticam extremam, & summos Pyrenæos jacentem descriperat eo capite Diodorus: eam igitur Phœnices Tyrios colonis complevisse prodit. Accinit Festus Avienus ex Punicis Animalibus, lib. de Oris maritimis. —Porrò in isto litore Stetere crebra civitates antea, Phœnixque habuit hos primam locos. Addo etiam juniores testes, sed eruditione locupletes. Joannes Episcopus Gerundenis lib. 5. Paralipom. cap. 3. Tarraconem Tyriorum Coloniæ existimat. Arias Montanus apud Ortelium in Geographia Conventus Hispaniensis, & Joannes Pineda lib. 4. de Rebus Salom. cap. 14. §. 7. Hispaniam, aliaque Bæticæ oppida Phœnicibus incolis attribuunt. Bernardus Aldrete lib. de Antiqui. Hispaniæ c. 2. addit Cartimam prope Malacam. Ac vide eundem in lib. de Origine linguæ Castellane. Tarapha de Rebus Hispaniæ Calpem Herculi adscribit, Tyrio nimirum. Igitur abundè hæc probant, nobilissimas Tyriorum colonias in Hispania, Australi potissimum Bætica, agnoscendas. 1496 Rogabis hic in primis; an Hispanienses Tyri colonias fuerint exteris aliis Tyriorum colonis ætate majores, & antiquiores? Respondeo affirmativè. Etenim Herculeum probi quique Historici asserunt, circa quintam post diluvium ætatem, Hispaniam, Australem maximè, cum sociis incoluisse. Ita Mariana l. 1. c. 8. Florianus l. 1. c. 13. Vasæus in Chronico c. 10. Herculeum autem hunc Ægypto P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

quidem oriundum, sed Tyrium fuisse, disertè tradunt Petrus Faber l. 3. semelstr. c. 4. Arrianus l. 2. de Rebus Alexandri, & Arnobius l. 1. contra Gentes. Unde doctè à Polyhistorico c. 36. dictum putamus, Tyrios ab Ægyptio mari profectos Gades Erithream cognominasse. Et certè Dionysius Alexand. l. de situ orbis v. 906. ait Phœnices ex genere esse hominum illorum, qui Rubri maris accolæ fuerunt. Itaque Tyrios in Hispania colonos habemus ab anno diluvii quingentesimo, mundi nempe bis millesimo centesimo quadagesimo. 1497 Nunc ergo, si aiarum Tyri coloniarum ætatem quæras, multò illas juniores invenias. Cadmus enim (quem Tyrium dicunt Herodotus in Euterpe, Nonnus Panopolita l. 4. Dionysiacum, & Ovidius 3. Metam.) Thebas in Bæotia condidit, eodem in Melpomene auctore Herodoto, & aliis, quod anno mundi bis millesimo sexcentesimo quadagesimo sexto accidisse, rectè docet Jacobus Gordonus in opere Chronologico. Igitur Hispanicæ Tyri colonias majores sunt Bæotiensi quingentis omnino annis. Quòd si Africanæ Colonias Tyri annos perconteris, longè illam juniorem accipies. Carthago namque (eadem ratio de reliquis est, quas Salustius in Bello Jugurtino quasi coævæ adnumerat) condita fuit à Tyriis, juxta communè sententiam, vixdum centum quadraginta quatuor annis antequam Roma fundaretur, hoc est, anno mundi ter millesimo centesimo octavo. Itaque nati minor Carthago est Hispaniensibus Tyri colonis, non minùs quàm mille fermè annis. Scio, Procopium l. 4. de Bello Vandalico, & Evagrium l. 4. Historiæ Ecclesiasticæ c. 18. Chanæorum colonias in Africa repetere ab antiquis Josue temporibus, hoc est, ab anno mundi bis millesimo quingentesimo quinquagesimo. Sed, ut ex Africanæ Colonias Phœnicum fuerint, Tyriorum certè non fuerint, cum ex Chanæis ab Josue Palæstina exactis coaluerint, Josue autem Tyrum non expugnaverit, neque patriis sedibus Tyrios exegerit. Quamvis verò Tyrius esse colonias concederemus, posteriores adhuc Hispaniensibus fuere quadringentis fermè annis. Scio etiã, plerosque Historicos tradere, aliquas insuper colonias in Italia à nostro Hercule fuisse conditas; sed tamen postquam Hispanienses fundavit, sublatis prius Geryonibus; quod omnes etiam agnoscunt Historiographi. Constat igitur exteras omnes Tyri colonias Hispaniensibus minores esse, atque adeò Hispanienses fuisse antiquiores. Alias item Tyri colonias in Hispania agnoscunt Strabo l. 3. Rodericus Toletanus l. 1. c. 5. & Gerundenis l. 2. Paralipom. Hispaniæ, & eas quidem Africanis etiam priores. Omittimus, ne longius faciamus. Vide Marianam lib. 1. c. 15. Florianum l. 2. c. 6. & alios. 1498 Opponat aliquis; Filiam tot annis natam esse nequaquam posse, cujus mater multò sit junior. Nam Tyrum ab Agenore fuisse conditam, auctor est Q. Curtius l. 4. de Rebus Alexandri: atqui Agenorè circa annum mundi bis millesimum sexcentessimum floruisse constat. Non ergo Tyrum ab Agenore orta filiam Hispaniensem habere potuit majorem annis sexcentis. Omittimus Josephum l. 8. Antiquit. c. 3. & Solutio Trogum Pompeium l. 18. qui juniorem adhuc Tyrum esse produnt. Neque illis adnumerandum est Eusebius, qui licet Josephum postea referat, sed longè antea Tyrum conditam agnoverrat, dum Cadmum in ea regnantem statuit in Chronico c. 10. Herculeum autem hunc Ægypto P. Ildeph. de Flores in Ecclef. K k 3 Chro-

Plini.

Reliquæ Phœnicum colonias.

Siculus.

Festus.

Nobiles Tyriorum colonias in Australi Bætica præsertim.

Lucan.

Carthæia à Phœnicibus condita ad fretum Herculeum.

Varia colonias assignata.

Strabo.

Strabo.